

Renibus male habentibus & calefactis lenientia & laxantia applicantur, vt est violat. amygdal. dulc. e semine lini. Sic etiam, quæ magis dilatant, oleum è scorpionibus, quo calculo hærente in vteribus, imo & vesica, nil præstantius, si inungatur. Vel etiam per fistulam vesicæ iniici potest, quando vrina, à calculo, à grumo sanguinis, à pituita, suppressa est, ipsa tum vesica vacua existente.

Vtero refrigerato calefacientia odorata conueniunt: maximi fit oleum de behen.

Vsus oleorum: vel solis vtimur, vel permiscetur vehementiora cum imbecillioribus: Eiusque quantitas est pro affectus & partis affectæ magnitudine. Tempus vero inunctioni conueniens est, ante cibum, præsertim vbi partes naturales afficiuntur.

De Linimentis & vnguentis.

C A P. XLV.

Linimenta & vnguenta sola consistentia inter se differunt, cum linimentorum liquidior, vnguentorum crassior sit. Linimentum ab illinendo dictum, mediæ est inter oleum & vnguentum consistentiæ: quod ipsis oleis, cum pertinacius adhæreat, efficacius est.

Sic vnguenta ab vtendi modo, vel ab inungendo dicta eo, quod illita a tantum opem ferantur. Verum vnguenta, quæ in officinis habentur, eum vnguentis veterum non conueniunt:

*a Actuar. 5.
method. 1.*